

DISSSERTATIONIS
DE
PANNICULARIIS
PARS PRIOR
THEORETICA.

I.



igitur, ut utrumque tam theoriam, quam praxin eodem libello complectamur, in duas partes praesentem tractationem diuisimus, quarum theoretica altera, altera pragmatica esto. Ad priorem hanc quod adtinet, non rectius theoriam Panniculariorum exponi posse existimamus, quam si legem *6. D. de Bon. Damn.* quae huic disquisitioni ansam dedit, et vnica est, in qua panniculariorum mentio fit, eiusque verba, quae aliquantisper obscuriora, aut alias explicatione indigere videntur, ordine, quo se inuicem sequuntur, illustremus.

II.

Vlpianus.

Desumpta igitur haec lex est ex Vlpiano, Icto magni nominis, cuius scriptis praecipue adiuti sunt Pandectarum compilatores. Ex Syria Phoenice oriundus, ut ipse refert in *L. 1. pr. D. de Censib.* Sciendum est, esse quasdam Colonias iuris Italici, ut est in Syria Phoenice, splendidissima Tyriorum colonia, unde mihi origo est, nobilis regionibus: serie seculorum antiquissima: arripotens: foederis, quod cum Romanis percussit, tenacissima: huic enim D. Seuerus et Imperator noster ob egregiam in rempublicam, Imperiumque Romanum insignem fidem, ius Italicum dedit. Alexandri Seueri Imperatoris tempore vixit, tutor eius exstitit, et ab eo in summo honore habitus, summas quoque dignitates in aula consecutus est, Imperatoris Consiliarius, factorum scriniorum Magister, Praefectus annonae, et Praefectus Praeto-